

D E F U N C T I

P. Martinus Stoks (1881 - 1958)

(Prov. *Hollandicae*)

Imago primi saeculi communitatis Ruremondensis anno 1963 absoluti praeter egregios missionarios complures calami apostolos exhibet, v. gr. PP. Kronenburg, Blanken, et alios. E quorum genere fuit P. Martinus, Hubertus, Franciscus Stoks, qui iam anno 1958 e vivis discessit, sed adhuc memoratu dignus pluribus videbatur.

P. Stoks die 18 feb. 1881 natus erat in civitate Roermond, ubi ad novitiatum usque enutritus, postea ad sanctuarium B. Mariae V., Nostris concreditum, 44 annos transegit. Erat e pia familia oriundus, quae, quamvis composita filiis e tribus matrimonii natis, tamen speciem concordiae non minus ac pietatis prae se ferebat. Iam puerulo Martino quotidie sanctuarium Dominae Nostrae deprecaturo adire licebat. Qua ratione ad hanc visitationem venisset, ipse Frater Stoks enarrare non poterat: « ipsam Matrem Dei numquam satis laudandam suaviter et fortiter attraxisse me credo ». Frequens haec visitatio, etiam post primam Communionem, anno 1892 dominica Passionis receptam, non intermissa, desiderium excitavit inter Iuvenistas tunc ibidem degentes recipi. Precibus exauditis Martinus eodem anno 1892 Iuvenatum ingressus est. Boni ingenii puer cursus et studia humanitatis feliciter peregit. Imprimis litterarum amans multa carmina tam latino quam patrio sermone, quin etiam integros fasciculos, composuit. Quem amorem usque ad senectutem retinuit: festa confratrum et iubilaria ecclesiastica illustrare carminibus in deliciis habebat. Non minus pietate proficiens iam in sinu Congregationis versari se reputabat. Septendecim annos natus novitiatum Buscoduci inchoavit, quem pariter sub P. Ferdinandu Smits, magistro satis stricto, prospere prosecutus est. Anno 1899, 15 oct., die sanctae Theresiae sacro, frater Stoks libens et gaudens vota emisit. Precabatur: « Mater perseverantiae, me, quaeso, custodi et coronam tribue Alfonsonianam ».

sophicis et theologicis diligenter incubuit; quae, litterarum amore non deserto, prospere absolvit. Autumno anni 1904, tribus diebus continuis, ut moris erat, subdiaconus, diaconus et, dispensatione ob defectum aetatis obtenta, sacerdos ordinatus est. Mense augusto anni sequentis neo-sacerdos lector Iuvenatus Ru-remondae renuntiatus est, ubi ipsi mox disciplinae humaniores Litteraturae, Poe-sis, Rhetoricae demandatae sunt. Id egit ut adolescentes auctoribus classicis ope-ram dando humanistice informarentur; fabulas scenicas agendas procurabat; actione et pronuntiatione et multiplici exercitio ad eloquentiam praeludebant.



P. Martinus Stoks

Eodem tempore scriptoris palaestram ingressus est. A Patre Kronenburg, periodici *De Volksmissionaris* directore, inter redactionis socios assumptus, multis articulis necnon versibus et apparatu picturali ad fovendam pietatem plura contulit. In multis fidem et doctrinam morum catholicam, etiam in Hollandia impugnationi infidelium et detractioni protestantium obnoxiam, illustravit et defendit. Qua in re quidam apologetici catholici imprimis P. Th. Bensdorp, C.SS.R., convenerant se nulla doctrinae calumnia vel errore in ephemeridibus vulgato supersessuros, sed, quoad facere possent, singula officiose correcturos. Quo in genere P. Stoks quaedam diurnalia nomine «neutra», revera saepius fidei et moribus adversantia, probare statuit ac corrigere. Quod fecit quoad diurnale *De Telegraaf* et alia. Quoad folia hebdomadaria *Het Leven* et alia primum articulis, deinde libellis, editis ad 70.000 exempl. Hoc faciendo id egit ut et averteret catholicos ab illorum lectione et simul ephemerides catholicas propa-garet. Tanto fervore in hoc incubuit, ut eius pia mater rogaret filiam suam, quae «oraret pro Martino iuvene tanto strepitu in illa diurnalia animadver-tente». His aliasque elucubrationibus P. Stoks non parum existimationis con-

secutus est. Inde ab hoc tempore multa etiam praestitit honestatem publicam propugnando. A moderatoribus sodalitii « Pro honestate et virtute » rogati P. Kronenburg et alii periodica instruxerant primum pro adolescentibus, deinde praesertim pro adultis, quibus honestatem imprimis publicam tuerentur. Praecipuum erat periodicum mensile *Mannenadel en Vrouweneer*, in quo P. Stoks initio operis socius, deinde dirigendo per 17 annos strenue laboravit. Non solum confratribus sed etiam laicis auctoritate valentibus sociis iisque catholicis et Calvinistis morum licentiam palam prolatam indefesse impugnavit, matrimonii indissolubilitatem, sanctitatem, verbo ethos christiano-catholicum propugnavit. Annos periodici aliqui « vitae momentum » Patris Martini autumarunt.

Interea P. Stoks a lectoratu ad directionem Iuvenatus promotus erat. Director rationem studiorum ac scholarum provehere contendit. Pueros et adolescentes tam individuali quam communi moderatione ad pietatem Alfonsianam informabat. Anno 1920 iubilaeo aureo Iuvenatus celebrando praefuit. Statuere licebat circiter tertiam partem puerorum qui singulis annis Iuvenatum ingressi fuerant, ad sacerdotium in Congregatione pervenisse.

Sed etiam aliud munus P. Martinum manebat. Anno 1921 rector nominatus est, quod munus per 9 annos, primum Ruremondae, deinde in domibus Iuvenatus Vaalsensi et Neomagensi obivit. Diligenter singula boni pastoris munera exercebat. Etiam in extraneorum cura tunc operam ponebat, sed tum praesertim cum interrupta rectoratum serie Ruremondae, et, dimisso rectoratu, Rosaevalli et iterum Ruremondae degebat. Hisce annis circiter 10 errantes ad fidem et Ecclesiam catholicam perduxit. Sed imprimis religiosas tam moniales quam activas exercitiis spiritualibus excoluit. Quo in genere, sicut methodum classicam sectabatur, ita specialiter persequendo dona Spiritus Sancti procedebat. Per plurimos annos menstruis recollectionibus et confessionum ministerio religiosis et sacerdotibus praesertim Ruremondensibus consulebat. De mandato episcoporum quattuor Ordinum vel Congregationum conventus canonica visitatione lustravit.

Latius vero patuit apostolatus calami. Inde a tempore lectoratus generi apologetico incubuit. Quo in genere P. Th. Bensdorp, C.SS.R., instructione et scriptis praeclera praestiterat in Hollandia. Qui cum ad finem vitae, qui anno 1917 contigit, prospiceret, neminem aptiorem invenit cui collectionem et novam editionem omnium operum suorum apologeticorum procurandam committeret quam P. Stoks. Qui libenter annuit et integrum opus apologeticum defuncti tribus voluminibus, praemissa auctoris vita et prolegomenis ac postlegomenis adiectis, nomine *Apologetica* edendum curavit trium annorum spatio. Quoniam P. Bensdorp etiam complura S. Alfonsi opuscula spiritualia ediderat, neerlandice utique,

P. Stoks etiam hoc confratris opus persecutus est. Itaque complura S. Parentis opuscula: novenas in honorem Divini Infantis, Spiritus Sancti, S. Ioseph, S. Theresiae; opuscula a Pio XII tam laudata de conversatione cum Deo, de Uniformitate cum Dei voluntate, de Via Salutis et alia saepe et iterum edidit. In his eminebat nova editio *Glorie di Maria*, saeviente secundo bello universali, pluries et quidem clandestine facta. Quae opera S. Parentis P. Stoks saepe etiam confratribus commendabat, suumque in his laborem specialem apud Deum fiduciam sibi conciliare dicebat.

Complura etiam in genere spirituali proprio marte praestitit: articulos in diurnalibus et periodicis nostris et alienis; opuscula de sanctis speciatim dilectis: de Iohanne Evang., de Theresiis Abulensi et Lexoviensi, cuius genus spirituale pluribus scriptis exposuit et propagavit. Neque coaevas pietate insignes negligebat: in his praesertim Theresiam de Konnerbreuth, quam visitaverat, eiusque « Crucis mysterium » libro illustravit et coram auditorum coronis, praesertim in Flandria, celebravit. Carius etiam opusculum, quod non solum patrio sermone sed etiam in 7 linguas extraneas translatum multas editiones sortitus est, anno 1937 edidit *Il mio cielo sulla terra*. Carissimum autem opus, quod multo ante per partes anticipaverat: *Michael en zijn engelen*, multis superatis impedimentis, v. gr. editorum fastidio, tandem ultimo vitae eius anno prodit, opus « encyclopedicum » dictum et a legitimis theologiae fontibus depromptum.

Sed iam ad finem vergebant vita actuosa P. Martini. Quum iam per plus quam 30 annos morbo diabetico laboraret, annis 1950 et 1956 alia passus est; anno 1956, quum iam foras exire non valeret, in valetudinarium definitive receptus est, ubi adhuc aliquot paenitentes (sacerdotes) curare perrexit usque ad ultimas vitae hebdomadas. Mature a confessario postulavit, ut tempestive de opportuna receptione Sacramentorum infirmorum moneretur; ipsi quoque preces et affectus in extremis sibi sugerenda (S. Alf., Via salutis, c. 23) indicavit. Quae Sacraenta die 25 iulii 1958 recepit. Tandem 10 augusti, die dominico, in pace Christi pie discessit et tertium post diem in coemeterio nostro sepultus resurrectionem expectat. P. Stoks hilari conversatione et blanda pietate multorum fiduciam et amicitiam sibi conciliabat. Facultates non quidem micantes sed utiles foenerando, zelum S. Alfonsi prospero cum successu aemulabatur. Ex multis qui discessum « patris angelici » aegre ferebant, unus scripsit: Vel cogitare ipsum benedictio est.